



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 126. Si Sacerdos legat Missam in Conventu, ubi moritur Frater vel Soror, poterit liberare animam à Purgatorio vel si recitet pro tali Anima Officium Defunctorum. Item fit mentio de Indulgentia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

tissimæ Passionis te absolvat, & gratiam suam tibi infundat. Et ego Authoritate ipsius & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & summorum Pontificum, mihi in hac parte commissâ, & tibi concessâ, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, Suspensionis & Interdicti; & dispenso tecum in omni irregularitate, si quam contraxisti; & restituo te unioni, & participationi Fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Eâdem Authoritate absolvo te ab omni transgressione Votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Custodialium, Localium, & Synodalium quorumcunque. Eâdem Authoritate absolvo te ab omni, divino Officio malè perfoluto; ab Horis indebitè transpositis vel omissis. Item eâdem Authoritate ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humanâ, ignorantia, vel malitiâ deliquisti; concedens tibi remissionem, & Indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confessorum, & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuisti, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt. Item eâdem Authoritate absolvo te à pœnis Purgatorii, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis, meruisti; restituendo te illi innocentia, in qua eras, quando baptizatus fuisti. In nomine Patris, &c. Passio, &c. Quòd si hâc vice non discesseris? reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Plures etiam adhuc sunt Indulgentiæ, quas lucrari possunt FF. Minores, Moniales, & Tertiarii cum ipsis communicantes.

CXXXVI. **C**lemens VIII. Bullâ: *De omnium salute. &c.* quæ est octava in Bullario Roderiquez fol. 528. concessit Indulgentiam plenariam Fratribus Minoribus, & eorum Parentibus, Fratribus,

& Benefactoribus Fratres Minores hospitantibus; si pro iis Sacerdotes ex Ordine Minorum legant Missam. Item, si Sacerdos Regularis legat Missam in Conventu, in quo moritur unus suorum Confratrum, animam ipsius liberat.

*Innocentius VIII.* concessit Monialibus & Fratribus, quòd animam liberent; si communicent pro animabus suorum Parentum, Fratrum, Sororum, Confratrum, & Confororum; item si recitent pro iis Officium Defunctorum. Idem concessit *Leo X.* prout habetur libro: *Monumenta Ordinum de Privilegiis & Indulgentiis.*

*Alexander VII.* concessit Indulgentiam plenariam peragentibus Exercitia spiritualia per octiduum Regularibus, Monialibus, nec non aliis, qui ea servant in Monasteriis Religiosorum. *Apud Vivam in Appendice Indulg. fol. 88. §. 2.*

*Innocentius XI. & XII.* concesserunt Indulgentiam plenariam tribus Ordinibus S. Francisci, Chordigeris, & cum his communicantibus: quocunque die recitant Coronam septem Gaudiorum B. Virginis M. Item quocunque die orant 6. Pater noster & Ave Maria cum Gloria Patri. &c. ante Sanctissimum Sacramentum; uti dictum est in fine. C. 22. n. 109. Sequitur Caput de amplissimis Indulgentiis Stationum intrâ & extra Urbem.

## CAPUT XXVII.

De Indulgentiis Stationum contentarum in Missali Romano, quæ sunt concessæ tribus Ordinibus S. FRANCISCI, & Chordigeris nunquam revocatæ; sed usque nunc subsistentes & certò indubitatè in suo robore, usu, praxi, & vigore.

XXVI I. **Q**uo ad Indulgentias Stationum Urbis, oportet scire; quòd